

Dissertatio medica inauguralis de malo hysterico ... / Eruditorum examini subjicit Jacobus Boswel.

Contributors

Boswel, Jacobus.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Academicis, 1766.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e8trcytp>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
 INAUGURALIS,
 DE
 MALO HYSTERICO:

QUAM
 ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.I
 ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,
 RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subicit

JACOBUS BOSWEL,
 SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 25 Januarii, hora locoque solitis.

Jupiter, affectæ tandem miserere puellæ! PROPERT.

EDINBURGI:
 TYPIS ACADEMICIS.
 M,DCC,LXVI,

(See Dr. Duncan's Essay from his affect & send the Author.)

W. R. O.
JACOB O. SWALD

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

ALLOMYSTHIS

V I R O

ILLUSTRI PERHONORIFICO

JACOBO OSWALD

DE DUNNAKEIR,

ARMIGERO;

REGI A SANCTIORIBUS CONCILIIS ;

FISCI IN HIBERNIA PRAEFECTORUM UNI ;

AD PUBLICA MAGNAE BRITANNIAE COMITIA

ITERUM ITERUMQUE LEGATO ;

HONORIBUS CLARO, CLARIORI VIRTUTIBUS,

IN OTIO, IN NEGOTIIS, PERAEQUE EXIMIO ;

PATRIAE UTILITATIS STUDIO,

INGENII ACUMINE,

ELOQUENTIAE VIRIBUS,

ET

MORUM ELEGANTIA,

IMPRIMIS INSIGNI ;

OB BENEFICIA IN SE COLLATA,

SUMMO CULTU ET OBSEQUIO COLENDO :

NEC NON

ALFRED BOBROW

DE MARYLAND

ANNAPOLIS

TO THE HONORABLE SENATE OF MARYLAND
IN SENATE CHAMBERS, ANNAPOLIS, MARYLAND,
JANUARY 1850

AD PUBLICAM MAIORIS UTILITATIS CAUSAM

ITAVUM ITAVUM ITAVUM
HONORABILIS CLAUDI MARYLANDIAE
IN OTIO, IN NEGOTIIS, IN BRONCHITIDE

PATRIAE UTILITATE
IN OMNI ANNO

VITAE UTILITATE
ELOCUTIONE
ET AMPLIUS

ET
MORUM ET
MORUM ET
MORUM ET

OPERA
OPERA

NEC NON

VIRO SPECTATISSIMO

ALEXANDRO BOSWEL

DE AUCHINLECK,

ARMIGERO;

IN CURIIS PRO CIVILIBUS AC CRIMINALIBUS

APUD NOS SUPREMIS

SENATORI INTEGERRIMO;

OB

INSIGNEM FIDEM, SAPIENTIAM,

DIGNITATEM, ET INDEFESSAM

QUA IN HISCE FUNCTIONIBUS

SE GERIT DILIGENTIAM,

PATRIAE UTILISSIMO;

VITAE INTEGRITATE, ERUDITIONE OMNIGENA,

ET BENIGNITATE QUAE GENUS HUMANUM

COMPLECTITUR,

AMICIS, OMNIBUS, CARISSIMO;

PATRUO SUO OPTIMO,

OMNI HONORE ET PIETATE

PROSEQUENDO:

UT ET

JACOBUS BOSWELL

A

CONVINCED

IN

THE

PROBATION

OF

THE

PROBATION

OF

THE

PROBATION

OF

THE

PROBATION

OF

THE

PROBATION

OF

JACOBUS BOSWELL

UT ET

VIRO EGREGIO

COBO SCHAW,

ARMIGERO;

IN CONVENTU PUBLICO APUD INSULAM

MONTSERRAT

SENATORI DIGNISSIMO;

VECTIGALIIUM ILLIUS INSULÆ

PROCURATORI ÆQUISSIMO,

QUI MEDICINAM IBI OLIM

FELICISSIME EXERCUIT;

PATRI, SIBI, AMICO FIDISSIMO;

OB SUMMAM EAM QUA SE SUOSQUE

IMPER COMPLEXUS EST BENEVOLENTIAM,

AD DIEM USQUE VITÆ SUPREMUM

HAUD OBLIVISCENDAM :

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

GRATI ANIMI MONUMENTUM,

EO QUO PAR EST OBSEQUIO,

SACRAS VOLUIT

JACOBUS BOSWEL.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

I N A U G U R A L I S,

D E

MALO HYSTERICO.

S E C T I O I.

MORBUS, qui vulgo nuncupatur *Hystericus*, siue spectetur originis ac indolis obscuritas, siue frequentia, ac etiam saevitia, qua plerumque grassatur; siue et ratio perpendatur, qua dignoscatur, ac sanetur, saepius perdifficilis; attentionem summam jure optimo commeretur. Nullus quidem e tota morborum cohorte symptomatibus aequae numerosis ac diversis stipatur, si omnia quae tempore vario cieat simul intueamur: Nullus vero in horum concursu, et in formis quas induit, tam varius, inconstans, atque incertus conspicitur. Æque animum ac corpus infestat; nullaque systematis pars vel functio datur, quam non interdum diversimode aggreditur, ac perturbat; vixque quidem concelebratur morbus, cujus similitudinem ac aspectum nonnunquam non referat, et aliquatenus mentiatur.

SEMPER et ubique existisse, notumque fuisse hunc morbum, testantur et ratio et veteres medicinae annales. Antiqui vero in hujus, ac in morborum acutorum, ratione ac descriptione accurata nequaquam aeque praestant; ob hanc forte rationem inter alias, quia rarius iis temporibus, nisi forsan ubi morbus gravior terrorem adstantibus injiceret, et exitium minaretur, ut hanc observarent, medicis occasio fuit: Quum non a re absolum, sed potius a quibusdam antiquitatis vestigiis (a) verisimile videatur, uti artem obstetriciam, sic hujus morbi imprimis curam, quoniam ab utero semper oriri crederetur, foeminarum manibus magna ex parte fuisse versatam: quin et foeminas eum, nomine ad hunc usque diem vulgo recepto, primo insigniisse, ex his (b) quoque apparet. Sed quaecumque habeatur ratio, quosdam tantum ejus aspectus vehementiores passim descripserunt, ac omnia quae protulerunt hypothese ineptâ intertextâ vitiârunt. Neque ad recentiores, paucis exceptis, inter quos Britanniae medici locum haud infimum tenent, multo majore cum fructu adeamus; quum eum multi vage et indefinite pertractarunt, plerique omnes pede nimis sicco celerique percurrerunt.

NOMINA

(a) Hipp. de morb. mulier. l. 1. p. 457. Galenus de locor. affect. notit. lib. vi. cap. vi. Araet. de morb. acut. curat. lib. 1. cap. 10.

(b) Ibid.

N O M I N A.

INSIGNEM admodum appellationum diverfarum varietatem confequutus eft hicce morbus : Quarum maxime ufitatae conjectura nituntur erronea, Malum hoc ab utero affecto femper coortum fuiffe (a), ejufdemque fympptomata notabiliora, ab hujus visceris motu, afcenfu, defcenfu, ac poftera (b) varia, ubique proceffiffe. Hinc imprimis, cum refpirationis anguftia in hoc morbo propemodum ad fuffocationem ufque procedens ab utero ad fuperiora recurrente, thoracis viscera fufum premente, vel etiam ad fauces ufque urgente, concitari cenferetur ; ideo Πνιξ ὑςερικη, Ἄπνοια τῆς ὑςερας, *uteri strangulatio, praefocatio, fuffocatio*, vel et *afcenfus*, nominari solebat ; parique etiam ratione, *malum hystericum, affectio vel paffio uterina* quoque appellatur, et fermone vernaculo vulgo *Fits of the Mother*. A dominatu fympptomatum quorundam praepotente, vel a fimilitudine, quam interdum ad alios morbos prae fe ferat ; *perfrigeratio flatuofa, fyncope frigida, epilepfia, apoplexia uterina*, aliquando quoque nuncupatur. Ex hifce omnibus, haud ulla morbo proprie accommodatur, vel ideam ejufdem veram

(a) Hipp. de morb. mulier. lib. 1. feft. 5. p. 419.—lib. 2. feft. 33. p. 566.

(b) Id. loc. fupracit. et de natur. mulieb. feft. 81. p. 404. et alibi paffim.

ram suppeditat. Nomen *Hysterici*, eatenus quo uteri affecti ideam semper involvit, ubique improprie usurpatur; quoniam morbus nec ab uteri vitio semper originem ducit, nec sexum sequiorem solummodo infestat, quamvis ab hypochondriaco revera alienus habendus, uti postea indicare tentabimus; nec denique est, cur in sexu etiam molliore uterum saltem semper in hoc morbo speciatim affici crederemus.

DEFINITIO.

TANTA ubique dominatur in passionis hystericae symptomatibus, et in formis sub quibus haec conspiciuntur, diversitas atque inconstantia, ut impotenter ageret, qui, definitionem quae, semper, unicuique speciei, cunctisque ac singulis hujus morbi formis, accommodate conveniret, omnesque eas apte comprehenderet, aperte proferre vellet. Si vero characteres ejusdem magis assiduos ac generales intueamur, dicere liceat, eum esse morbum, qui in systematis nervosi affectibus, et speciatim in motibus canalii alimentarii spasmodico-convulsivis, praecipue constat; qui, impetu plerumque in primae coctionis officinas vel sensorium facto, exinde perturbationes magis minusve universales, per totum genus nervosum, concitat propagatque.

SECTIO

S E C T I O II.

QUÆNAM HOMINUM CORPORA SINT HUIC
MORBO MAGIS OPPORTUNA.

FOEMINIS nominatim peculiaris est hicce morbus, iisque adeo familiaris et infestus, ut paucae omnino, et per totum vitae circuitum, ab omni ejus impetu incolumes evadant (*a*). Nec tamen sexum molliorem, ut quibusdam visum, prorsus solum aggreditur; etiamsi prout morbi species, ab ea quae strictius hypochondriaca nominanda, admodum diversa spectetur, et revera spectanda: Quum ista etiam symptomata quae hysterico summe propria ac constituentia ab omnibus habentur, quaeque a veris affectibus hypochondriacis aliena esse suo loco demonstrare conabimur, in sexu quoque masculino nonnunquam sese ostendere reperiuntur (*b*).

QUAMVIS

(*a*) Sydenh. dissert. epistol. ad G. Cole.

(*b*) Hoff. syst. rat. vol. 4. p. 3. cap. 5. p. 181, 182, 192, 193. 4to edit.

Hujus exemplum insigne mihi videndi fuit occasio. Patre enim optimo ad—Drummond accersito, sed alioquin occupato, sollicitatus ut aegrum inviserem, quum res venae-sectionem statim exigere ab adstantibus crederetur,—hominem inveni facie livida, oculis distortis, stupore levi, voce penè deficiente, summisque respirationis angustiis colluctantem

QUAMVIS autem malum hocce nec sexum fequiores sensu rigidiore solum infestare solet, nec ad foeminas aetatis cujusvis habitusve peculiaris strictius unice referendum, interea tamen ex his haud omnes ejus incurfibus ex aequo sunt opportunae; cum quidem eae quae temperie, habitu ac idiosyncrasia quadam singulari constant, vitae instituto peculiari utuntur, quaeque sub nonnullis praesertim vitae periodis vigent, multo magis quam aliae sunt huic obnoxiae: In quibusdam iterum ex occasione levioze quam in aliis concitatur, et

luctantem.—haec vero symptomata cito cum multorum flatuum expulsionem per os sese remiserunt; sed totius fere corporis perfrigeratio summa, et paulo post insensibilitas, extremitatum paralyfis, cum deliratione levi, invadebant.—Pulsus parvi, debiles, tremulique vibrabant.—In hoc statu per minutorum quorundam spatium aeger, precibus ad Deum cum desperatione quadam sollicitate eiectis, immobilis jacebat.—Aqua in familiae usus jam fervida forte conspecta, ut pedes ejus manusque in hac immergerentur, curavi; quo facto, haustuque tepido ex aqua, vino, et guttis quibusdam sp. c. c. dato, calor vegetior sensim in corpus obrepebat,—sensus motusque paulatim redierunt. Rogatus aeger, brassicis, quas in prandium assumpserat, vitio vertebat.—Circa tres a cibo horas de cardialgia, anxietate, ventriculique intumescencia, quibus jam per multos annos obnoxius fuerat, conquerebatur.—Ante symptomatum praememoratorum invasionem, sensum obscurum quasi cujusdam a cordis scorbiculo ad guttur sursum tendentis percipiebat; citoque post tumor horridas respirationis angustias provocans fauces obsidebat. His, longe levioze plerumque gradu, saepius affici solebat.—Vir trigenarius, aspectu robustus, plethoricus, ligni faber.

et in his etiam prae illis majorem exercet tyrannidem. Quasdam ex levissima causa data invadit, et miros in modos exagitat; dum aliae, quamcumque demum causam patiuntur, vix, vel ne vix quidem, affectibus hysteriis pertentantur.

QUAE ritu peculiari hysterici incessibus tum opportuniore habentur, tum ejus insultus graviores aequae ac frequentiores patiuntur, quaecumque sint aliae conditiones singulares quae de his postea observandae venient, insigniori animi et corporis sensibilitate ac mobilitate pollent; voluptatis, dolorisque, exquisite capaces spectantur; imaginatione ac ingenio saepius vivido, festivo, agili, vario, ac mutabili gaudent; pusillanimes sunt, ac morae impatientes; ad amorem, affectuumque animi diversorum incurfus repentinos, et impetus feroces, procliviores; idiosyncrasia quadam etiam singulari non raro constant; unde a quibusdam alimentorum, odorum, aliorumque generibus, quae reliquis fere omnibus hominibus etiam amicae sunt atque gratae, valde laeduntur (a).

EAS saepe sollicitat, quae habitu corporis laxiore, molliore, teneriore, debiliore, et forma haud raro gracili, delicata, eleganti, praestant;

(a) Whyte on nerv. disord. ch. iii. Hoff. syst. rat. vol. 4. p. 3 cap. 5.

stant (*a*); quae systemate arterioso majore, ac temperamento insigniter sanguineo, donantur; quae magis abunde menstruant, et haemorrhagiis opportuniores fiunt (*b*).

QUÆ vitam etiam otiosam ignavius degunt, laute vivunt, et parcius exercentur; quasque moeror, curae, sollicitudines, morbi diuturni, haemorrhagia profusiora, aliaeve evacuationes majores, vel causae debilitantes affligerunt; opportunius ad hujus impetus patere vulgo quoque aestimantur (*c*).

SED his et delicatulis nequaquam sit restrictus; quum et frequens, et ferox admodum, inter plebeias, et eas quae corporis habitu robustiore masculoquoque praeditae, et laboribus sunt assuetae, saevire solet (*d*).

FOEMINÆ innuptae, viduaeque juniores, et ex nuptis steriles, quam foecundae; ut et quae abnormi mensium fluxui magis sunt obnoxiae, vel chlorosi expallescent; hoc morbo saepius detinentur.

(*a*) Hipp. de morb. mulier. lib. sect. 2. Whyte on nerv. disord. ch. 3. Cheyne on the English malady, p. 1. cap. 15.

(*b*) Hoff. syst. rat. vol. 4. p. 3. cap. 5. Sydenh. diff. epist.

(*c*) Hoff. loc. citat.

(*d*) Syd. dissert. epist. Willis de morb. convuls. cap. 10. Forneft. lib. 28. obs. 28.

tur (a). Sed et eas quae bene purgantur, et in utero gerunt, et vini consuetudine fruuntur, etiam exercet; dum aliis, in quibus horum contraria reperiuntur, parcit (b).

QUASDAM foeminas, ac etiam familias, jure quasi haereditario infestare solet; quum labes quidem et constitutio peculiaris quae ad eam praedisponat, a parentibus derivata, in sobolem descendat.

QUÆ habitu sanguineo, robustiore, virili, donantur, et in animi motus sunt praecipites, suffocatione hysterico-convulsiva, affectibusque gravioribus, latius per systema proserpentibus; phlegmaticae vero, chloroticae, debiliores, delicatulae, animi deliquiis, affectionibusque magis topicis, plerumque affici observantur (c).

A pubertatis aetate ad supremam fluxus menstrualis cessationem grassatur frequentissimus; sed hujus periodi limitibus haud absolute praefinitur; documenta enim exstiterunt, ubi impuberes aetatis flore nondum pullulascentes, multaeque

B

etiam

(a) Hipp. de natur. mulier. sect. 4. Lomm. obs. med. p. 282. Piso de cog. et cur. morb. lib. iii. cap. 51. Hoffm. loc. citat. Syd. dissert. epist.

(b) Piso et Willis loc. citat.

(c) Testantur Hoffm. Syd. aliique.

etiam ante mensium primam eruptionem, sicut et ubi vetulae, nimirum annorum 60 vel 70 pondere degravatae, sub ejus imperio laboraverunt (*a*).

IN foeminis nec raro occurrit circa periodum qua menstrua omnino defluere jam cessatura sunt; sicut et in gravidis, uti etiam in puerperis, praesertim si a diuturnis et gravioribus parturitionis aerumnis multa sunt perpeffae (*b*).

ANNORUM tempestates, coelorumque temperies, ad primum praesertim hujus mali ingressum fovendum ac conciliandum, haud multum conferre censentur. In hyeme tamen, vere, et autumno, quam in aestate; et in aere frigido, nubiloso, humidoque, quam in sereno, arido, tepidoque; quae olim hujus incessus pati consuerunt, aegrius se habent, ac ejus insultui crebriori ac saeviori magis subjici dicuntur (*c*).

S E C T I O III.

CAUSAE OCCASIONALES.

CAUSAE quae affectibus hystericis occasionem praebent, quando in iis huic praedispositis vim suam exercent, multae recensentur.

HARUM

(*a*) Hoffm. loc. citat.

(*b*) Hoffm. loc. citat.

(*c*) N. Pifo de cognoscend. morb. lib. 3. cap. 51. Lomm. obs. med. p. 282

HARUM imprimis prodeunt Animi Perturbationes subitaneae ac feroces, aliique Mentis Motus et Affectus; inter quos nullus quam motus irarum truculentus, animusve pavore trepidus, aut consternatione repentina praeoccupatus, hujus impetus frequentius aut saevius inducere reperiuntur. Res aspectu deformes atque ingratae quae animum horrore percutiunt; aliarum, sub hujus mali vel caeterorum insultibus convulsivis, colluctantium conspectus; acerbus seu inopinatus eventuum tristium et infausorum nuncius; vel intempestiva cladis improvise, lugubris, horridae, recitatio; et denique rerum quarumvis animi tumultus excitantium recordatio; quin et ipsa vis imaginationis imitatrix; haec omnia non raro calamitatis hujusmodi paroxysmos exuscitant (*a*).

QUAEDAM, odoribus quibusdam, praecipue suaviter grateque redolentibus, quales sunt moschus, rosae, similesque; sonituum singularium impulsu aliae maxime obstrepentium stridore; quin etiam lucis vividioris fulgoribus (*b*) ita afficiuntur, ut hujus morbi insultus statim patiantur (*c*).

EVACUATIONIS cujusvis naturalis vel consuetae praeter morem retentio, sed imprimis mensium
suum

(*a*) Hoffm. loc. citat. Whyte on the nerves, diss. chap. 3. Mandeville on vapours, chap. 4.

(*b*) Testantur Hoffm. Whyte, &c.

(*c*) Swieten comm. in aph. Boerh. 28.

fium et lochiorum subita suppressio, a frigore atque humiditate coorta, inter hujus mali causas frequentissimas habentur. Perspiratio impedita, alvus constipata, aliaque hujusmodi, inter hujus occasiones etiam enumerantur (*a*).

HAEMORRHAGIA profusa, mensium, lochiorum, alviq̄ue fluxus immodici, prout an-
sam huic morbo praebentes, apud scriptores quoque memorantur (*b*).

FRIGUS, corpore praesertim incalescente, laboribus vigiliisve defatigato, susceptum; plethora; debilitas, et inanitio; labor ultra vires; vigiliae nimis protractae; sanguinis impetus citatus; morbi acuti; graviditas; ingestorum tum in quantitate, tum in qualitate errores, crapulae, jejunia, calida, arescentia, multum flatum datura, potulenta vel alimenta a singulari foeminarum quarundam idiosyncrasia his nociva, ut piscium et aliorum quaedam genera; medicamenta purgantia, et alia fortiora; materiae rheumaticae, podagricae, et eruptionum miliarium, caeterorumque, retropulsio; fluor albus; materia acris, ulcerosa, in quibusdam corporis partibus delitescens; schirri, cancri, praecipue uterini; uteri prolapsus;

(*a*) Hoffm. loc. cit. Astruc. Traites des Malad. des fem. tom. 4. cap.

(*b*) Ib. loc. citat.

fus; dolores atroces; et denique multa vi irritante praedita; nonnullaque etiam quibus talem inesse vim vix quisquam crederet; quaecunque demum per genus nervosum perturbationes concitare valent; inter hujus morbi causas procartarticas a scriptoribus etiam referuntur (a).

SAEPE autem vix, et ne vix, quidem ulla causa concitatrix detegi potest; praesertim quum morbus se jam diu frequentius redintegraverit, aut vicibus repetitis periodicus evaserit.

S E C T I O IV.

MORBI HISTORIA.

DIES deficeret, si in luculentiorum omnium symptomatum enarrationem fusius iniremus, quibus sub causarum recensitarum imperio, vario tempore, et in aegris diversis, hic morbus conspicitur: Ac profecto conamen arduum frustra susciperet, qui haec, ordine quo variatis vicibus sese excipiunt, formisque diversis quibus occurrunt, accurate depingere voluerit. Symptomata enim prope innumera habentur, nec regula aliqua aut typo uniformi sese strictius contineri patiuntur;

(a) Whyte on nerv. dif. chap. 4. Cheyne on the Eng. mal. p. 2. chap. 10. Hoffm. syst. rat. I. 4. p. 3. cap. 5. Syd. Dissert. epist. Mauriceau mal des fem. grosses sect. 1. liv. 3. cap. 33. Piso de cognosc. et cur. morb. l. 3. cap. 51.

tur (a); vix in duabus aegris eundem ex toto aspectum induit; quin et in eadem, aliis temporibus, novato subinde concursu, alius ejus vultus spectatur. Nunc haec, nunc illa, symptomata chorum ducunt, vel prae caeteris saeviunt: modo pauciores, modo plures partes afficiuntur. Per Accessiones vel Paroxyfmos in quibus systema multum graviterque laborat, functiones fere omnes feriatim quasi turbantur, et symptomatum numerus, successio, et alternatio insignis intercedit, morbus impetus suos facere saepe confuevit. Aliàs, quaedam ex symptomatibus, quae agmine majore conferta paroxyfmos graves universales constituunt, numero minore se produnt; morbi species magis topicae nascuntur, et malum per affectus utcunque leviores, minus late proferpentes, sese ostendere solet.

SYMPTOMATA eum magis assidue comitantia, et nominatim prout haec sub formis ac paroxyfms gravioribus saepius decurrunt, recensere connitemur.

PLERUMQUE, aliquamdiu priusquam malum plenius accesserit, vel e vestigio quam primum supervenerit, praesertim si insultus non sit admodum subitaneus, aegra multa cum oscitatione saepiuscule

(a) Syd. Dissert. epist.

saepiuscule pandiculatur; gravedo, lassitudo, languor, tum in corporis membra tum in mentem obrepunt; artus vacillant; vires prosteruntur; cogitationes fluctuant; hebetudo, formido, animi depressio, atque dolor miseram invadunt. Frigoris et horroris sensus, ab una parte in aliam subito commigrans, et praecipitis caloris ardoribus haud raro exceptus, frontem, genas, tempora, lumbos, extrema praecipue, pertentat; vultus pallore aut rubore suffunditur, vel horum vicis alternatim subit; dolores, sede, specie, saevitia, varii, dorsum praecipue et aliquam capitis partem occupant; urina instar aquae limpidae magna copia redditur. Motus, primo quidem obscurior, quasi tumoris vel globi cujusdam in imo ventre huc illuc vagantis, saepius uti ad diaphragma et superiora sursum tendentis, persentitur: In progressu suo, globus nunc quasi major molliorque, praecordia versus, mirum in modum intumescit; mox vero rursus minor, in molem duriorum coarctatur, symptomatis variis subeuntibus prout sursum adspirat. Aliae post alias abdominis partes cum palpitatione dolent; durae, inflatae, tenesque prominent, vel magna vi introrsum, praecipue circa umbilicum, contrahuntur. Intestina rugitu obmurmurant; et saepe adeo constringitur recti sphaencter, ut nec ullus flatus transmitti, nec fistula, qua enemata injici solent, immitti potest. Magna circa praecordia anxietas

et oppressio fatigat ; ad cordis praecipue scorbiculum constrictionis et arctationis sensus percipitur; vel regio tota epigastrica, ac si magna vi distenta fuerit, sentitur. Spiratio difficilis anxiosa et angusta, pulsus parvus, durus, intercisus, formicans, et inaequalis evadit. Cor haud raro veluti concussum tremit, et tussis sicca convulsiva nonnunquam exagitat. Haec, agmine majore minoreve se prodeuntia, saepius comitantur aut demum insequuntur tinnitus aurium, oculorum scintillatio, vertigo tenebrosa, sensuumque omnium gravedo; tandemque leviter deficit animus; aut somno quasi obrepente foemina obmutescit, vel stupore sepulta incondita secum mullitat.

SAEPE vero antequam sensus multum afficiuntur, aut altus somnus inciderit, globus vel ab inferioribus ad guttur usque adspirans, vel impetu suo in gulam primo facto cum tumore fauces occupare consuevit; respiratio brevis, crebra, summo cum angore laboriosa, cito ita arctatur, ut veluti fune aut vinculo percinctae fauces videantur, et summum imminentis suffocationis periculum comminetur. Pulsusque ac spiritus concidit, summe parvus, rarus; et nonnunquam adeo obscurus evadit, ut vix ullus superesse credatur; vox defetiscitur; vultus livore tumet; oculorum acies hebetatur, sensus omnes obnubilantur; tandemque aegra, veluti sopore profundo correpta,

correpta, concidit; quo etiamnum durante, motibus convulsivis agitatur, vel quasi attonita immobilis jacet.

INTERPOSITO tempore, cum remittere incipit paroxysmus, somnus placidior fit, ex quo cum suspiriis iteratis, lentis, altiusque repetitis, ventris rugitu, flatuum expulsionem, profluvio e vagina seroso, citius, tardius se recipiunt; oculi recluduntur; pulsus vegetior, erectior, respiratio liberior redditur; calor colorque vividiores, et mens et sensus cum voce redeunt.

PAROXYSMO soluto, saepe de dolore capitis gravante conqueruntur, et aliquamdiu dejectae, infirmae, lassae, et quasi contusae torpescunt.

Ex recensitis praeceuntibus malis quibusdam, aut comitantibus, convulsiones corporis magis minusve universales, saeviente etiam paroxysmo, aegras saepe exercent. In quibusdam manus, vel extrema sola agitantur; in aliis, corpus convellitur integrum; aegrae in posituras situ gestuque varias vi aguntur; inusitatos roboris conatus, motusque saepe mirificos edunt; cum mentis interdum et sermonis errore, saltant, tremunt; motu rotario celerrimo circumaguntur; mille modis distorquentur: Plerumque tamen sensum animumque incolumes aliquatenus retinent; vident; audiunt; agnoscunt;

agnoscunt ; et paroxyfmo remiffo, omnium eo faeviente aëtorum fubit recordatio ; aliquando vero ex inopinato tanquam a morbo comitiali corꝛeptae, diris convulfionibus colluctantes, fenfu atque ratiocinio prorfus deftitutae repente concidunt. Quorum impetus, ingratum aliquid, aura velut frigida, a pedibus vel pube exoriens, repatatu fuperiora petens, haud raro denunciat. Has convulfio continenter exercet ; in illis intermittere et recrudefcere per vices folet. Interjecto tempore, motus vim fuam ex integro ponit ; fomnus apopleëticorum inftar eft ; tandemque ad fe redeunt aegrae, omnium quae haëtenus facta immemores.

NONNULLAS, eas fpeciatim quae convulfiones faepius perpeffae funt, Paraplegia, Hemiplegia extremorum, aut partis fingularis Paralyfis, vel omnia Catalepficos fymptomata invadunt. In aliis fub paroxyfmi impetu mens quam corpus magis et nonnunquam etiam primario afficitur ; lingua fine ordine orationis, multis garrulitatis modis movetur ; titubant aegrae, aliena et incondita loquuntur ; et tanquam dolor fubeffet, pectus manu faepe percutiunt ; phantafmatis horrifcis, furore uterino, exagitantur ; affectibus animi diverfis ac oppofitis, ira, timore, odio, amore, fpe, desperatione, fucceffione celeri et inopinata efferuntur ; abfque ullo propofito vicibus

bus reiteratis ab fummis ejulatibus miseriarum-
que ploratibus de subito transeuntes, in cachinnos
immodicos, risus dissolutos, ineptaque mentis gau-
dia solvuntur.

QUAEDAM affectione sensorii vertiginis impe-
tu, ac sensuum obnubilatione, ex improvise corri-
piuntur: Visus hebescit; variae offeruntur re-
rum imagines; pusilli, muscae, vel lucentia aut ca-
liginosa rerum simulacra motu rotario, incerto, huc
illuc acta, assidue oculis obversari videntur; aegrae-
que continuo in statum comatosum vel aspectu
apoplecticum incidunt; vel et cum subito et
summo virium collapsu, cordis formicatione et in-
tremiscentia, extremorum refrigeratione, praeci-
pites in syncopen ruunt. Animus, sensus, mo-
tusque voluntarius intereunt; pulsus et respiratio
mille modis variantur, et aliquando in totum
fere evanescent. Sub his prostratae immobiles,
aspectuque haud raro exanimes, aliquamdiu ja-
cent; quin imo et eas sub hoc statu in diem etiam
unum alterumve, vel et diutius, permansisse, se-
pulchroque destinatas revixisse, documenta non
defunt (a).

HAEC sunt quae hysterici paroxysmos pleniores
plerumque implent; hique etiam prostant horum
incessuum aspectus, qui, in junioribus, et iis
speciatim ad animi motus proclivioribus, habitu-
que

(a) Pifo de cog. et cur. morb. loc. cit. Astruc. Traité des
malad. des femm. tom. 4. chap. xiii.

que insigniter fanguineo, robustiore, donatis, saepius occurrunt. Alia vero symptomata adfunt, quae sub hujus insultibus recensitis saepe etiam spectantur; ex his autem pleraque, ut et ex memoratis nonnulla numero minore stipata, sub alio aspectu, saepe quidem minus sub typo, aut paroxysmo aliquo uniformi, sese quoque passim ostendere solent: haecque senescentes praecipue infestant, et eas quae chlorosi laborant, habitu ac temperie torpidiore, detrito, infirmiore constant, vel hujus morbi impetus crebrius graviusque perpeffae.

NONNUNQUAM rigores, tremoresque graviores, vel extremorum summa perfrigeratio, et torpor aegram invadunt; interdum frigus mordicum et dolor atrocissimus aliquam dorsi, lumborum, vel coxycygis partem; aut dolores vagi, coarctantes, quales a fasciis vi maxima adstrictis artus, praecipue pertentant. Haud raro capitis dolores graves, tensivi, contristantes, vel acuti lancinantes, symptomata praecipua conspiciuntur; hi, nunc fixi, continui; nunc versatiles, vagantes; saepe periodici; modo hanc, modo illam plagam occupant: nonnunquam in fronte, vertice, vel toto pene capite, interdum velut a clavo infixio in puncto praefinito, atrocissime urgent. His plerumque accedunt capitis plenitudo, aurium tinnitus, vertigo, et in parte dolente, aut in his e confinio
objacentibus

objacentibus, frigoris vel coloris sensus immanis, arteriarumque pulsationes violentae; et nonnunquam etiam nausea bilisque poracei vomitus. Aliquando maxillae et dentes summe cruciantur, sputusque copiosus cum oris foetore provocatur. Quandoque ructus acidi, biliosi, nidorosi, varie olentes, nonnunquam etiam adeo corrodescentes ut dentes inficiant, cardialgia, singultus, borborygmi, ventriculi intumescencia, et dolores specie varii se produnt. Dolores atroces per abdomen passim vagantes, vel in aliqua ventris parte circa cordis scorbiculum, et ad coli regionem praecipue urgentes, colici, biliosi, vel passionis iliacaee aemulantes, summi que ad vomitum conatus, materiaeque viridis, coloris multum variantis, vomitiones immanes, quasdam continenter exercent. Aliae sub ejus impetu, diarrhaea, tenesmo, vel cholera, quae in icterum aliquando solvitur, tenentur: vel et incumbente morbo, micturitio nunc perpetua, doloresque quales a calculo urgent, urina vero supprimitur, aut parca copia cum ardore stillatim redditur: colore et sedimento sub diversis morbi incessibus quoque multum variat.

IN quibusdam, morbus in tussis convulsiva, diuturna, periodica, aut in asthma spasmodico recidivo plerumque sese ostendere solet: Aliae, nisi angustias et anxietates circa praecordia, vel cordis palpitationes; vertigines, vel animi defectio-

nes leves; vix quicquam ex affectibus hystericis patiuntur.

HUJUS affectus symptomata saepe simul cum aliis morbis implicata sese ostendunt: et eousque quidem ut quae huic morbo obnoxiae sunt, quando sub aliorum, etiam cujuscunque generis, imperio laborant, ejus incessus aut symptomata eodem tempore quoque saepe patiuntur; unde in his morbi alium vultum induunt, affectus aspectu valde anomali, medendique rationem singularem depostulantes haud raro nascuntur.

QUASCUNQUE formas morbus induit, vel quocunque symptomatum numero ac concursu stipatur, uti accessionis violentia sic etiam ejus duratio prorsus varia et incerta in singulis discrepat. Saepe solummodo per pauca minuta, interdum per horas, vel et dies perdurat. Sed quo violentior et late se pandit malum, eo plerumque citius solvitur; affectiones leviores, magis topicae, per longius temporis spatium una vice aegram infestare solent.

IN quibusdam forte morbus saltem gravius haud unquam fere revertitur, sed ejus recursus, secundum corporis dispositionem huic faventem, causarum occasionalium accessiones, caeteraque magnopere

magnopere variat. Plerumque a levissima causa in promptu est ut redeat, incertis intervallis ut plurimum recurrat; et omnes ejus accessiones aspectu quodammodo differunt. Nonnunquam incurfus frequentissime accedunt, ita ut foeminae indies fere, et haud raro eodem ipso die, repetitis ejus incessibus pertententur: Per longum etiam tempus impetus suos redintegrare solet; insultusque haud raro instante pleniturno, aut mensium fluxu, renovat. Aliquando crebro revertens perpetuus fit, quasi circuitibus movetur, immo ad normam fere periodicus evadit, et omnes ejus recursus eadem prope symptomata comitantur.

PER intervalla complures ab omni querimonia liberae, sanitate integerrima perfruuntur. Aliae, senescentes praecipue, debiliores, et quae ejus insultu crebriore atque graviore per longum tempus devexari consuerunt, cephalalgis, indigestione, cruditatibus, vigiliis, insomniis, incubo, caeterisque levissima ex causa exercentur; vel et morbi alii, ac mala graviora, in prognosi memoranda, ab hysterico profluunt.

S E C T I O

S E C T I O V.

D I A G N O S I S.

QUUM in hoc morbo symptomata, eorumque concursus, adeo fluctuant, et in ambiguo versantur; malum tot in facies se vertit, aliorumque aspectus nonnunquam tam solerti imitamine simulat; notas quibus sub omnibus ejus formis diversis semper rite detegatur, ut difficillimum, sit comparare, necesse. Rei itaque ratio jubet, ut non solum ea, quae sunt huic magis propria ac diagnostica, indicaremus, sed et res omnes ac singulas quae ad eum detegendum ac discriminandum, sub unaquaque ac cunctis larvis quas induit, ullo modo inservient. Nulla enim circumstantia tam levis et exigua, quin in hunc finem interdum deponatur, et usus suos habeat; quamvis, ubi nempe morbi characteres proprii, constantiores, plenius adsunt, ut voti simus compotes ad leviora recurrere saepius haud opus (e).

NONNULLA sunt quae magis assidue constantia et huic propria ad eum dignoscendum ac definendum magnopere conducunt; quamvis et haec, diversis in aegris, vel morbi insultibus, citius, tardius, ordine ac formis variis, magis minusve obvia et numerosa cernuntur.

(a) Syd. oper. praefat.

HORUM praecipua sunt, Globus volubilis in quacunque parte movetur; respiratio perangu-
sta ad suffocationem usque intercepta, retractio-
nes praecipue circa umbilicum, et cordis scorbicu-
lum atroces; faucium strangulatio, et vocis priva-
tio; sensorii affectiones; convulsio; mentis pa-
themata et errores, transitusque, praecipue ab uno
animi affectu ac motu enormi in alterum, celeres
et subitanei; animi deliquia, et morbi in soporem
profundum frequens solutio.

CL. SYDENHAMIUS, urinae pallidae fluxum su-
bitum atque copiosum hujus morbi signum vere
pathognomonicum esse, opinatur (a). Quamvis au-
tem hoc, quando cum aliis conspicitur, interdum
forte diagnosin aliquatenus firmet, plerumque
tamen, ad malum hocce indicandum, parum pro-
dest, et per se certe impar prorsus habetur; quum
et procul abest ut symptoma in hysterico per-
petuum fiat, et talis urinae evacuatio nequaquam
sit huic propria et restricta.

PRO certo indicio ab ASTRUCIO memoratur,
quod sub paroxysmi initiis, sensus atque motus qui-
dam singulares in utero percipiuntur (b); eos tamen
in hoc viscere locum obtinere minime verisimile
videtur: Potius in intestinis eorum sedes; haeque

D perceptiones,

(a) Syd. diff. epist.

(b) Astruc. Traite des mal. des fem. tom. 4. cap. 13. p. 58

perceptiones, prout eadem cum globi hysterici dicti motu incipiente, melius habendae; et eatenus, prout ex diagnosticis optima, jure censeantur. Idem auctor, antiquis praesertim vero medicis Arabicis suffragium ferens, accessionem, fluxu e vagina seroso lymphatico, nonnunquam sanguine colorato, semper solvi contendit. Hujus rei tamen veritas, aut saltem quod symptoma sit adeo constans, haudquaquam a generali recentiorum consensu vindicatur: Sed, ejus frequentia concessa, parum quidem profutura esset: quum, utrum obtinuerit necne, rarius cognosci possit.

SAEPE accidit, ut hic morbus magis ab invasionis ratione, symptomatumque omnium, tum in jam instante accessione, tum in praegressis, quam ab ullo symptomate vere diagnostico detegatur, et ab aliis discriminetur. Characteres morbi generaliores, in hunc finem, haud raro multum conferunt; quorum nempe praecipui sunt: Morbus sine febre, inflammatione, vel similibus, strictius in generis nervosi affectione consistit; animi affectus, praecipue depressio atque metus insuetus, haud raro accessiones denuntiant. Symptomatum successio, alternatio, et disseminatio insignis ac subitanea, incumbente morbo, per saepe spectantur: Morbusque exordium, magis minusve obvie, ut plurimum ab affectibus canalis alimentarii plerumque ducit; atque symptomata exinde per totum fere systema propagantur.

propagantur. Ubi aegrotans hujus mali invasionibus saepius obnoxia est, accessionum etiam irregularitas, symptomatum in ordine atque coactione, sub unoquoque incessu, inaequalitas, et quoad sedem et speciem mutabilitas, et discrepantia, ad passionem hysterica[m] indicandam, saepiuscule aliquammodo profunt: Sed, quum paroxysmi priores evidentius symptomatibus cladis hujus propriis stipati processerunt, aliis annuentibus, mala jam in aegra adstantia ejusdem esse generis, exploratius haberi possit.

IN affectibus hystericis, absentia equidem ipsa signorum quorundam quæ in aliis morbis pathognomonica habentur, vel et praesentia symptomatum quorundam quæ his morbis minus competunt, in uterino malo ab iis distinguendo, crebro quoque multum adjuvabunt: Malum enim hocce, quamvis aliorum symptomatibus aliquando se vestit, tamen horum personas raro in omni mentiri, aut eorum cunctis signis propriis, vel his solis, sine quibusdam ex hystericis, accuratius se exhibere solet.

SED aegrotantium constitutio, animi atque corporis habitus, et idiosyncrasia peculiaris, vivendi consuetudo, symptomatum praesentium causa excitans, paroxysmus nempe, imprimis suaveolentibus, aut mensibus subito suppressis, vel

et

rica spiratio nunquam non laedi, spirationis-
 que a laesione insultus omnis incipere debe-
 ret.—Quod attinet ad Willefii illam de ma-
 teria Explosiva, &c. sententiam, iisdem haec
 atque hypothesis Pysoniana argumentis redar-
 gui posset; quis vero non videt auctorem
 non infimi ingenii nimis hic imaginofum fu-
 iffe, materiamque illam, et explosiones mera
 esse figmenta? Si, porro, foeminas magnis
 musculorum viribus pollentes, morbus noster
 quandoque visit, non video qua ratione ab
 ataxiis spirituum animalium, ex crasi eorum
 Debiliori ortis, causa ejus repeti potest: etsi
 enim hujusmodi foeminae insignem quando-
 que a natura generis nervosi mobilitatem
 fortiantur; magno tamen hypothesis hujus
 auctori vix concedere possumus, crasin spiri-
 tuum, uti nuncupantur, animalium debilio-
 rem, mobilitatis istius causam existere; in his
 enim sanguis densus, multumque elaboratus
 est; qualis est vero sanguis, talis debet esse
 et spiritus ab illo nervis praebitus; si nervis re-
 vera spiritus quidquam a sanguine praebetur.
 Nec ullo modo apparet spirituum horum
 crasin Debiliorem, Ataxiis istis ansam prae-
 bere posse: annon crasis Debilior spiritus po-
 tius languidos redderet, musculisque attollendis
 ineptos? Hypothesi vero Sylvii, tenentis pro
 causa morbi hujus, sanguinis circa praecordia
 ab vaporibus acidis pancreaticis coagulatio-
 nem, non opus est quidquam respondeamus;
 cum

cum Sylviana illa de aciditate succi pancreatici, ejusque cum bile effervescentia, doctrina, e medicina dudum cum infamia exulaverit. Quoad illam D. ROBINSONII Theoriam de nervis humore lento oppletis, &c. ad eam subvertendam vel jam antea in alios prolata sufficere credo; ex plurimis tamen quibus patet objectionibus, paucas hic proponam. Si foemina, sanissima antea, fabricaeque corporis robustae, accessum hystericum obmotam illi iram v. g. derepente incurrat; nulla potest esse suspicio, humoris lenti nervorum, tunc temporis, lumina occupantis, cum auctor vel ipse fateatur, nervorum compagem laxiorem, humoris et coacervationi, et lentori occasionem dare: illud vero fieri nemini non notum est. Foeminae, porro, hystericae, ab redeunte morbi hujus paroxysmo, ne vel minimum antea affectae, oculi saepe nictu prosternuntur; humor ille lentus in tali causa, morbi ante invasionem nervorum in canalibus vel coacervari, aegraeque nec movendi vim nec sensus laedere; vel in puncto illo temporis quo irruit insultus colligi, deberet: omnes vero existimo dicturos, nec hoc nec illud fieri posse. Nec firmis quidem magis fundamentis mihi inniti videtur Cl. CHEYNEI jam antea exposita, super hac re opinio. Malum quidem hystericum non continenter efficere alterum horum quae pro causis ejus vult auctor hicce, probare videtur ipsa

ipfa jam supra adlata observatio; foeminarum, nempe, valetudine nunquam non optima potitarum, quae malo hoc quandoque ob vehementius animi pathema derepente corripuntur: quis enim in talibus foeminis adfuisse aut humores vel acres vel glutinosos, aut viscus laesum, aut obstructions qualescunque dicere audebit? Quando vero hic fumus, pluribus opinionis hujus, illam quae humorum corruptionem spectat partem, argumentis prosequi conabor, eo quod aliis etiam, Viris Claris, eam stare sententiam intelligo, scil. morbi hujus rationem in *materia morbosa* consistere. Ipse enim vix mihi persuasum habere possum, fieri unquam, ut humor corruptus causam ejus Proximam conficiat. --Nemo ut videtur, humorum in hoc morbo corruptionis Speciem Peculiarem esse dicet: si enim causarum ejus procatarticarum effectus esset humores corrumpere, si gignendo morbo humores corrupti sufficerent, et si denique causas illas, quando etiam pessimae sunt, plurimae patiuntur, omnimodaeque foeminae, quae malo tamen nunquam tanguntur; ejusmodi deberet esse corruptio, ut foeminis competeret temperiei, victus et vitae instituti omnis, utque singulis tamen in foeminis gigni non posset; quis autem dicere sustinebit talem unquam extitisse? Si vero humorum corruptione non opus sit peculiari, quare non toties exoritur malum quoties humores insigniter

signiter corrumpuntur? Quando vero illud non fiat, nonne consequitur, humores corruptos gignendo illi Solos non sufficere? haec vero eadem omnia de humorum lentore, atque redundantia dici possunt; deque omnibus quidem haecenus creditis morbi hujus causis*; ideoque concludere licere puto, conditionem aliquam, harum extra quamcunque, in iis quae ad mali hysterici susceptionem sunt aptae, ad efficiendum malum illud requiri (ut hic loci id moneam). Praeter etiam haec vero, num ex humorum corruptione, phaenomenorum morbi nostri rationi satisfiet? Apud Etmullerum legere licet de foemina suffocatione hysterica tentata, quae illud mirantibus medicis obtulit, quod, scil. accessus duos, quorum quisque sua recurrere solebat hora, quorumque alter ab altero, ob diversam in utroque symptomatum et formam, et saevitiam facile erat distinguendus, experiri solebat: horumque qui saevior, citius ut plurimum alteri supervenire solebat, quam alter huic †. Si jam symptomata haecce humores corruptos effecisse ponatur, symptomata saeviora vel propter copiam humorum horum majorem,

* Si modo unquam extiterint.

† Haud equidem mihi constat, an apud Etmullerum, seu apud Ludovicum Mercatum memoretur hicce casus; auctorem enim notare neglexi, et non licuit bis cognoscere: similis vero casus, nisi quod minus fuit constans paroxysmorum reditus, Bruneri consiliis excerptus, apud Senertum occurrit. Vid. Sen. pract. lib. 4. part. 2. sect. 3. cap. 8.

vel propter eorum tetriorem qualitatem enasci necesse est * : hoc vero concesso sequeretur, causam in hoc casu nunc suffecisse minorem, nunc autem majorem requisitam fuisse; id vero, rogo, quomodo fieri posset, si causam morbi proximam absolvat humor vitiosus? Credo porro absurdum fore dicere, humores illos posse, per vices eo modo ordinatas, nunc puriores, nunc corruptiores esse: interval- lumque praeterea longius accessuum qui faevior excipere deberet. Mirum videtur in corpore posse delitere humores, tam corruptos ut aegras quandoque in laborem prope extremum de improvviso praecipitare valeant, adeoque interea sopiri iniquam eorum vim, ut minuto horae ante invasionem, ne vel minimum mutationis in aegra deprehendi, ut plurimum, possit. Humores illi tantillo temporis spatio atque dum aegras exercet paroxysmus, quoad qualitatem suam, vix corrigi posse videntur, raroque si unquam e corpore eliminantur; quomodo igitur saepe

* Thesis hanc forte nobis negabunt, qui pro causa mali hujus, dictam Materiem Morbosam habent; ---materies morbosa, dicent, sedem suam mutare valet, ideoque partes occupare nunc magis, nunc minus stimuli patientes. ---Quid vero, rogo, materiem jam in has, jam in illas, per vices, idque eo ex ordine, impulit? ---Ad haec equidem, aliaque multa morbi hujus phaenomena, necesse videtur materies Animata sit. ---Huic opinioni de Materia Morbosa, refragari insigniter videtur celeritas qua symptomata, aliquando, ab altera in alteram corporis partem transeunt.

ab insultu requiescunt tam cito, tamque integre reconvalescunt? Nec desunt et alia multa quae huc adduci possint.

HAUD me latet, alia fore phaenomena si sanguis Totus corrumpatur, quam si ejus Portio quaedam; qualem sc. nonnulli in corpore ab aliis humoribus seorsim quasi existere, jamque in has jam in illas partes incumbere, credunt; quamque supra nomine materiae morbosae adumbravi; ideoque videor ^{forte} male fecisse, qui in prolatis jam argumentis, corruptionem ex parte, ab integra corruptione non semper distinxi. Brevitatis vero studium effecit, ut non in utrumque seorsim verba fecerim: idque eo magis quod adhibita argumenta, in illam aequae ac in hanc, ut plurimum, urgeri possunt.

HAEC vero fatis. Liceatque dixisse, nos non nisi coactos, hasce de erroribus in magnorum horum virorum dogmatibus conjecturas facere: conjecturas namque meras esse praedico, etsi majori forte cum confidentia (cujus rogamus veniam) locuti quandoque simus.

CONJECTURA DE VERA CAUSA.

SI vero conjecturis hisce locus fuerit, horumque nemo causam mali veram attigit; proximum est ut hanc eruere adnitamur. Est autem sane perobscura; utque dicamus quod res est, morbi hujus causa Primaria minutior esse videtur, locique in quo latitat fabrica
E subtilior,

subtilior, actioque ignota magis, quam ut illam aut oculis intueri, aut ratione comprehendere valeamus: in eam tamen quousque licet per phaenomena morbi, corporisque haecenus detectam structuram, pro viribus descendemus. Minime quidem speramus, nos motas super quaestione hac lites omnes rescissuros; nec quae de illa hic sequuntur, tanquam ratum aliquid proponimus, sed tanquam conjecturam, cui forte plura, quae nos latent, objici possunt: conjecturam scilicet quam possum verisimillimam facio, sitque licet absurda, apud lectorem tamen veniam impetrabo, siquidem bene dixit vates,

In magnis et voluisse sat est.*

QUANDO igitur foeminae sunt, quibus morbus hystericus induci nunquam potest, etsi causas a quibus excitatur in aliis, easque saevissimas patiantur; patet deesse illis, hisce vero aliis inesse aliquid, quod ad efficiendum morbum necessarium est.--Quidquid medici de causa mali hujus Primaria sentiant, neminem puto doctiorem hodie negaturum, nervos secundo saltem affici; phaenomenaque illa quae symptomata hystERICA dicuntur, mediantibus eorum actionibus quibusdam anomalis enasci. Illud ideo, quod morbo efficiendo necessarium est, aliquid esse debet,

* Propert. lib. 2. el. 8.

quod nervos in motus inordinatos conjiciendo aptum est. Necessesse est vero, hoc sit vitium vel Firmæ, vel Fluidæ corporis portionis, vel denique Utriusque. Non vero in solis humoribus vitiosis consistere posse, ex antea dictis patere puto; apparuit namque abesse quandoque omne eorum vitium; præsensque morbo efficiendo non sufficere: etsi igitur concederetur humores læsos posse quandoque aliquid malo huic creando conferre, sequeretur tamen, in partibus etiam solidis, conditionem qualemcunque peculiarem, ad malum nostrum nunquam non requiri. Ea vero conditio debet nervis ipsis inesse*; cum impossibile sit, quamvis excogitare partium aliarum firmarum conditionem, quæ in nervis illas excitare valeret motuum species, quæ in morbo hysterico se spectandas præbent †; et quæ omnibus in foeminis hystericis adesse possent. Si vero in nervis obtineat tale quiddam ‡, quale, scil. eorum actionem tantum habet

* Nervos inter solidas corporis partes pono, quod de sic dictorum spirituum animalium existentia a nonnullis dubitatur; quodque morbi nervorum, non ab eos permeante humore vitioso oriri videantur, cum sæpe nervi optime valeant vitiatum humoribus, et cum his integris, insani existant illi.

† Solidarum partium morbos, supraque tradita perpendenti, hoc facile patebit.

‡ Hujus in sequentibus frequens fiet mentio; incertus vero sum, quo vocabulo designarem.—Dum foeminae in quibus obtinet ab insultu quiescunt, spectari potest tanquam aliquid in statu nervorum, ex quo motibus istis ineundis apti fiunt; sub ea igitur conditione ejus, Diathesis hysterica dicetur: ingruente vero paroxysmo, ideam potius præbet alicujus, nervos in motus enormes

habet imperium, eorumque motus hos enormes suscitare valet, circa originem eorum obtinere *credibile est*: ex cujus loci mutatione qualicunque, motus omnis, atque sensatio fieri *videtur*: trunci enim nervini, *uti verisimile est*, valent tantum causas horum, sensationis, scil. motusque, aliunde acceptas hinc inde perferre: saltem integra manente, truncorum cum locis quibus exoriuntur continuitate. Tantum igitur de hac re tenemus: nempe, Diathesin quandam peculiarem, quam ut gignatur morbus hicce adesse necessarium est, in foeminis hystericis obtinere; eamque circa nervorum originem existere videri. Hanc diathesin quod amplius attinet, cum malum hystericum affectio sit haereditaria, cumque causae ejus procatarticae eum in nonnullis gignere non valeant, proindeque ab his creari non possit diathesis illa; est ut concludamus, diathesin aliquid esse corpori coetaneum, primisque ejus staminibus imprimi, ut ita loquar. Diathesis haec in corpore plerumque latet; nec quidquam valet, nisi accidente causa procatartica: rem vero quandoque aliter esse, probare videtur jam nunc dicta observatio, nempe morbum esse haereditarium, corporisque habitum optimum, ut novi, quin tempore suo appareat praecavere aliquando non posse; aliaque illa, scil. emicare non-

enormes conjicientis; in hoc igitur statu indicare volens, appellationem illi affigam Vim hystericam. Verbo, scil. potiori indigens.

nunquam, ubi praesens nulla deprehendi potest causa manifesta, qua provocetur: ex his enim apparet, eam aliquoties talem obtinere vim, ut ipsa sola, sponteque etiam, nervos commotiones in istas, quae malum hysteri- cum dicuntur, conjicere valeat; quo magis- que induci potest quisquam ut hoc fieri cre- dat, id efficit, quod, scil. extra dubium esse videatur, paroxysmos hinc refuscitari posse, si modo morbi accessum foemina semel passa sit; prostant enim casus ubi paroxysmi redie- runt, etsi irritaminis cujusquam ne vel suspi- cio fuit: tales sunt harum, quas sanitate gaudentes, motus animi subitus, evanidusque in huncce affectum praecipitavit, quasque *postea per circuitus revisere affectus assuevit**. Haec igitur Diathesis, aut potius Vis mihi vi- detur esse mali hujus causa proxima: rem ali- quando se ita habere supra dicta probant; quoadque munus quod in affectu hocce susci- tando humores gerunt, in casu quem ex Et- mullero supra citavimus, patuit, ut nobis vi- detur, penes diathesin fuisse symptomatum vel saevitiam, vel levitatem; ordinem quo se inferunt; eorumque speciem; paroxysmo- rumque quidem ipsorum ortum:---adeoque quod maximum hic valent humores, ceu qua- litate peccantes, ceu quantitate, est, diathe- sin hysteri- cam ad motum stimulare, (si eo modo loqui fas sit) vicemque proinde causae

* Hujus in praxi haud raro occurrunt exempla.

procatarcticae gerere. Nihil vero amplius penes hos in ullo casu esse, exinde evinci videtur, quod, uti dictum, nec vitium humorum morbus hicce semper comitatur, nec vitium hunc; quodque etsi concederetur dari hic semper humorum peccatum quoddam, probari tamen posset, neque symptomatum saevitiam, neque intervallorum durationem, peccati continuae magnitudini respondere.* Facile esset jam eadem haec omnia, de creditis morbi causis proximis, procatarcticisque antea enumeratis singulis evincere, si eo ferret disputationis institutum. Interim ex hactenus dictis inferre licere puto, Diathesin qualemcunque, vel Vim illam, mali esse hujus causam proximam: adeo vero ut data diathesi, quo majus erit humorum peccatum, vel quo saevior causa procatarctica, quaecunque sit, eo et peior morbus.

NEC solus hicce affectus est, qui hujusmodi causae originem suam debet: ab simili enim diathesi oriri etiam Febres Intermittentes, solidissimis, pro more suo, pulcherrimisque argumentis probavit summus medicus Van Swieten †: eademque de epilepsiis, saltem

* Minus valeret forte argumentum hoc, si foeminae malo hysterico eo semper gravius mulctarentur, quo magis acuta sentiendi facultate pollerent; aliter vero se res habet.

† Com. in Boerh. aph. 757.

quibusdam, apud nonnullos opinio valet; ut
le Catalepsi taceamus, Mania, aliisque plu-
ribus morbis, qui nostrum malum minus refe-
unt.

Si jam forte quaeratur modus quo diathesis
illa existit; vel quo mutationem illam quae
paroxysmum efficit, nervorum origini inducit;
vel qualis est mutatio illa, fateor me haec o-
mnia penitus ignorare: quantumque videre
mihi datur, nemo de his potest aut minimam
facere conjecturam, aut earum vel obscurissi-
mam ideam possidere; cum circa partes, de
qua agitur, fabrica, actioneque, penitus in
tenebris simus. Creditur quidem locum esse
aliquem circa nervorum originem, ex cujus
mutationibus qualibuscunque, seu ibidem or-
tis, seu extrinsecus communicatis, sensationes
omnes, motusque in homine oriuntur; pro
variisque loci illius mutationibus, alios fore
motus, aliasque sensationes; eundemque por-
ro fore effectum, undecunque mutationes fi-
unt. Hisque in hunc modum constitutis, no-
vimus quidem locum illum immutari, muta-
tionemque vim hystericam efficere debere;
ultra vero tendere haud dari videtur. Nec
minus nos latet, quomodo desaevire, qui-
etemque agere per vices: vel in corpore la-
tere, idque aliquando per tempus adeo lon-
gum, nullasque interea turbas agere: vel in
foeminis quibusdam, atque non in omnibus
obtinere potest: vel quare accessus utpluri-
mum

mum recessusque paroxyfmi tam subiti sunt. Non vero exinde quidquam, in diathesis hystericae existentiam objiciendum est. Illam antea existere probavimus; ideoque jam potius accipienda est, qualis ex harum ejus *Dotum* observatione esse deprehenditur, videndumque num ex ea phaenomenorum morbi ratio deduci potest. Hoc vero quidem effici posse videtur.

VIDEMUS scil. jam, quare absque quavis in corpore mutatione manifesta plerumque solvatur; ad solutionem nempe ejus, solum nervorum originis status mutatio aliqua requiri videtur: quare aliquando nulla in cadaveribus vestigia ejus deprehendantur: quare difficilis adeo fit sanatio ejus absoluta: jamque etiam clarior fit symptomatum ejus varietatis, atque mutabilitatis ratio: symptomatum scil. varietas mutabilitasque, eorum species varias, sedem, transitusque ab altera in alteram partem respiciunt; speciebus vero symptomatum variis producendis, sufficiunt variae nervorum circa originem suam immutationes; hae autem immutationes penes vim hystericae sunt:---potest porro vis haecce, partem quamcunque loci illius in quo hospitatur occupare, jamque ejus majus, et jam minus spatium; hinc in sede latitudineque symptomatum varietas: praeterea, in vi hysterica facultatem notavimus, et exoriendi, et subsidendi subito; potest igitur arrepta habitaculi sui parte quavis, illam mox rursus demittere, alterique involare,

re, idque aliquando tempusculo forte brevissimo; hinc vero fiet, idque celeriter adeo quandoque, symptomatum ab altero in alterum corporis locum transitus: idemque erit quoad temporis spatium quod symptomati transferendo requiritur, seu locus in quem transferendum est a jam occupato remotus, seu illi vicinus sit.

JAM etiam haud fore difficile credo monstrare, quomodo morbus hicce a causis tam variis excitatur: id quod proxime est agendum: hoc vero qua ratione secundum alias illas supra memoratas hypotheses effici potest, non video. Quod restat autem, levius attingam necesse habeo, ne ad molem nimiam augeantur pagellae meae; quodque alia me abhinc revocant. Haud igitur sollicitus ero in iis explicandis, quae ex nota corporis physiologia, vel pathologia patent; vel de quibus inter omnes convenit.

DE MODIS QUIBUS A CAUSIS PROCATARCTICIS ACCENDITUR MALUM.

DIXIMUS vis hystericae effectum esse, nervorum excitare motus quosdam enormes. Quodcunque igitur motibus similibus gignendis convenit, vim eam adjuvare, inque actionem sollicitare, potest; dum illum producere tendit nervorum statum, in quo producendo vis forte continenter laborat.--

CAUSARUM mali hujus procatarticarum effectus, sub quatuor his capitibus reduci possunt: nempe humorum corruptione: augmento eorum copiae, superioraque versus determinatione: corporis debilitatione: ejusque irritatione. Notum est quantae ab his omnibus generis nervosi commotiones fiunt: humores namque corrupti, cerebri, medullae spinalis, nervorumque vascula, inter permeandum, irritant macerantque. Quando vero copia exuperant, vel superiora versus nimium perferuntur, vasa cerebri sanguifera aequo magis implentur, vascula minora nervique comprimuntur; fierique non potest, quin multum hinc turbetur nervorum actio: omnes norunt hanc esse inter Convulsionis causas. Debilitas etiam, atque irritatio nervis sunt maxime inimica; motus eorum inordinatos, convulsionesque etiam producunt: haec vero quomodo efficiunt ignotum est.

HUMORES vero corrumpunt, alimenta crassa, tenacia, copiave nimia ingesta; subigi enim nequeunt, sed in corruptelam abeunt variam pro indole sua; quae corruptela ex officinis primis rapta, mox sanguinis rivo committitur. Idem facit vigilia protracta: quanquam, ne quid diffimulem, malum hoc gignere mihi videtur vigilia, non tam humores corrumpendo, quam damnum aliquod, modo quodam alio, cerebro nervisque inferendo: num forsitan fibrillis corporis motoriiis, in muneribus suis diurnis vexatis, tritisque;
irritabilitas,

onem hancce, mediante nervorum actione praeternaturali effici; quae actio nervorum, oriri debet ex mutatione quadam sensorio communi inducta: haec vero sensorii communis mutatio, mihi videtur esse vera causa cur a pathematibus animi vis hysterica accendatur.---Nec mirandum est hoc, cum corpus inde integrum miris adeo modis commoveatur:

---ubi vehementi commota est metu mens,
 Consentire animam tota per membra videmus:
 Sudores, itaque et pallorem existere toto
 Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri,
 Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus*.

NEC minus sub aliis hisce pathematibus a quibus suscitatur malum, quando saeva sunt: quin etiam videmus, similia utcunque esse, pathematum horum, suffocationisque hystericae symptomata. Somnus nimius perspirationem cutaneam diminuit, solidarumque corporis partium vires solvit; unde accumulari debet sanguis: forte tamen mala a somno oriunda, non tam huic causae debentur, quam sensorii communis statui illi qui in somno obtinet.---Sanguinis menstrui retentio, humorum molem auget; mirum autem videtur, a tantulo eorum molis augmento, tot fieri posse mala,

* Lucret. lib. 3.

quot a suppressis mensibus oriri videmus: illinc vero deducenda sunt, si, uti necesse videtur, his accedamus qui pro plethora universali stant. --- Videtur quidem aucta humorum moles, maiorum esse causa, non autem causa proxima. --- Lentus admodum est sanguinis per vasa minima motus, horumque actione quadam leni et continenti *, motuique intestinorum peristaltico simili quodammodo, sensim promovetur. Notum est intestina, si quando onus suum proferre impediuntur, lumen suum contrahere, invertere motum, omniaque quae continent sursum rapere; numque aucta nimis sanguinis quantitate, ejusque parte superflua in uterum, naturae forte conamine quodam, determinata; num inquam in tali casu simile etiam aliquid in vasis minimis fit, ac in intestinis impedito oneris sui descensu, motus nempe inversio quaedam? qua inversione per reliquum corpus, maxime autem per exteriora propagata, (quod in hujusmodi affectionibus, quae de genere convulsivo sunt, durante causa, solenne est) humores versus interiora et superiora compelluntur. Hujusmodi equidem aliquid contingere suadent saltem suppressorum mensium symptomata. --- Patet vero non mirum esse, malum hoc a causa tali frequenter oriri: tum scilicet quod vehementer turbatur corpus, tum quia ejusdem modi affectione, et suppressis mensibus, et dominante vi hy-

* Vid. quae de hoc pulchre differuit celeberrimus Whytt.

sterica tentetur. De caeteris sub capite hoc, facere verba non opus est.

DEBILITANT alimenta copia nimia ingesta, eadem acida, crassa, vel tenacia nimis; labor ultra vires; evacuationes magnae; morbi praegressi; graviditas.

IRRITANTIA sunt flatus cibus aere foetis enatus; medicamenta acria valde; dolores vehementes, vel potius dolorum causae; veneris defuetudo; uteri prolapsus.---Haud quidem immediate inter irritantia numerari potest veneris defuetudo; exinde vero seminis fit accumulatio; a quo diutius aeque intus retento, “ casus atrocissimi, convulsio epileptica, infania, subita praefocatio, ^{πνίξ} “ ^{ὑσέρικη} syncope cardiaca, etc. utrumque “ sexum oppugnant * ;” dum, scilicet, pruritu quodam loca continenter in quibus colligitur, exindeque genus totum nervosum fatiget, inque motus inordinatos sollicitet: nec mirum videbitur haec posse efficere, si modo locorum illorum spectetur natura. De vaporibus uterinis, quibus ut causae tribuebatur olim morbus noster, nihil dixi; cum jam inter omnes prope conveniat, mera fuisse insomnia quaecunque de his dicta sunt: neque quidem mihi probari posse videtur, a corruptione seu seminis, seu sanguinis menstrui, affectionem hanc unquam oriri: seminis enim in cadaveribus patefacta corruptio, morbi, et mortis

* Lom. de sanit. tuend.

effectus esse potuit. Caetera sub hoc capite transeo.--Labem haereditariam, inter causas mali hysterici procatarticas, post alios, numeravi; labes vero de qua loquuntur, est diathesis hysterica, ideoque potius causa proxima †. --Observandum est, non omnia hic memorata vere esse causas procatarticas, quanquam tales vulgo censeantur, et quanquam ideo pro talibus hic enumerata fuerint:--monitumque vellem lectorem, me illos solum eorum notasse effectus, quibus mihi malum gignere videntur.--

*Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.*

De causis recursus morbi, quod adjiciam non habeo.

RATIO SYMPTOMATUM.

DIXIMUS mali hysterici causam, aliquid esse circa originem nervorum, quod ex mutatione qualicunque parti illi inducta, phaenomena ea quae symptomata hysterica vocantur in corpore parit. Affectio autem corporis quae symptomatibus hisce subest, et a quibus forte immediate oriuntur, spasmus dictus esse videtur: causa scil. morbi hujus in o-

* Verisimile enim videtur, eandem semper adesse causam, etsi nunc majori, nunc minori vi potiatur.

mnum nervorum functiones imperium habet ; ejusque effectus, quando hominem occupat totum, est actionis cordis diminutio, vel suppressio, aliarum partium contractio, vel major, vel minor, sive spasmus.

SPASMI, uti notum, loca, quo magis a cordis actione remota, eo plerumque citius occupant ; ingruente igitur paroxysmo, constringuntur primo ubique vasa minora, maxime autem externe ; simulque debilitato corde, per cutis, viscerumque, pulmonis, scil. cerebri, &c. angustias, segnius promoveri incipit sanguis ; hinc refrigeratio, rigor, pandiculatio, oscitatio, segnities, torpor, lassitudo, debilitas, artuumque maxime, qui a corde longius distant. Dolor frontis, oritur a membrana qua intus obducuntur sinus frontales ; temporum, a membranis cerebri juxta tempora ; oculorum, a tunicis suis spasmio correptis : dolor, scil. inde fit, quod fibra
 “ nervosa, cerebro orta, ita extenditur, vel alio
 “ modo disponitur, ut dissolutionem minitetur * ;” in hujusmodi autem affectibus, ab extensione oriri necesse est ; nihil enim aliud, ut plurimum saltem, adest, quod dissolutionem hanc minitatur : patet autem sub omni spasmio extensionem fore : quae extensio ideo dolorem non semper creat, quod non perpetuo tanta est, ut dissolutionem nervorum minitetur.

* Boerh. aph.

Aucto ubique spafmo, fanguis verſus interiora magis magisque compellitur; aegrius, parciusque pulmones, aliaque tranſit viſcera; negari illi incipit reditus a capite; cordisque ſimul vis magis imminuitur; hinc pallor, aſpectus triftitia, torpor ſenſuum internorum atque externorum, anxietas, moeror, animi dejectio, pulſus frequentia, tenſio, debilitas, frequentia et labor reſpirationis, cordisque palpitatio. A capite ſanguine oppleto, deduci hic poſſet ſenſuum torpor; oriri vero potius videtur a primaria illa ſenſorii communis perverſione, de qua antea ſaepius: idque exinde apparet, quod abſque hoc oppleto ſaepe torpor ille adſit: nec aliunde forte quaerenda eſt variarum quae in hystericis apparent ſenſuum laeſionum ratio. Nonnullis malae, uti olim notatum, palloris loco rubedinem induunt; quod fieri credibile eſt, quando ſpafmus pulmones, priuſquam caeteras corporis partes, arripit; in quo caſu, ſanguini a facie reditus denegatur, dum vaſa urget unda a corde continenter adventans, donec valde diſtendantur, eorumque tandem in ſeries ſanguifera minores, vi via fiat*. Acute undique, atque ab artibus introactus fanguis, in renes partim deturbatur; hinc ingens conficitur urinae copia, pallidae ideo quod ſpafmo ſimul coarctantur ora papillarum illarum,

* An huic cauſae accedunt vaſcula genarum crebrius fortiusque micantia?

rum, quae renum in pelves urinam demittunt, ---Ventriculus et intestina spasmo videntur raro, si unquam, per tractum suum integrum, simul et semel, affici; hic illic vero pluribus in locis, eodem momento constringi solent; adeo ut aer, cujus quantitatem satis magnam intra se nunquam non recondunt, inter loca angustata, totidem quasi utriculis includatur; cumque latius sibi spatium, rarior usque factus, efflagitet, intestinique quo coercetur locum dilatare tendat; dum simul eum in angustius revocare non desistat spasmus; extensio fit loci, in partes sic diversas rapti; unde dolor: remittente vero mox spasmo, erumpit cum vi i carcere aer; atque hinc sonitus illi, vel borborygmi.---A dolore intestinum rectum occupante, oritur tenesmus. A spasmo vesicae urinariae collum, ischuria; partimque stranguria; de qua mox etiam verbum. Lumborum dolor, a spasmo etiam ortus, sedem mihi videtur vel ligamentis in illis quae vertebrae vinciendis adjuvant*, vel in periosteo habere; prout enim ab aëgris describitur situs ejus, infra musculos, extra autem ossium cancellos, ut reor, existat necesse est. Ventris duritiem, tensionem, retractionem umbilici, illamque praecordiorum intumescantiam, efficit, ut patet, spasmus, vel convulsio musculorum abdominalium: abdominisque infla-

* Monro's anat. of the bones, p. 165.

tio inde forte oritur, quod minuitur, uti, jam in hoc loco, necesse est, halitus, quo irrorantur interius intestina, excretio; ille enim halitus, aeris intestinalis, continue nascentis, eadem qua nascitur ratione, elaterem perdit*; halitu igitur utcunque deficiente, augetur usque aer, quo se magis atque magis undique expandente, inflatio fit: inflatio vero partis ejus, a causa eadem, qua mox globus abdominalis, deduci potest.---Stricturae alvi clyfma non admittentis ratio ex dictis patet.---Incipit modo supra monstrato intestinorum affectio spasmodica, aucto vero malo, videntur tandem per tractum suum integrum constrictionem pati; constrictione scilicet in locis ano prioribus exoritur, sursumque tendit; aeris vero intestinorum portionem magnam superiora versus necessario compellit; qui aer tandem ad molem insignem cogitur; variofque, prout spasmus progreditur, intestinorum anfractus permensus, partim tandem in ventriculum, indeque rursus in gulam agitur; sistiturque circa fauces, gula ibi loci simul spasmus patiente: hinc globus ille abdominis, ejusque phaenomena; hinc faucium tumor, globus hystericus dictus; qui aegras, adeo angit exinde, quod tracheam arteriam, venasque jugulares comprimit. Ingratum vero illud, aura velut frigida, etc. nihil vide-

* Vid. Hale's Staticks, vol. I. exp. 107, 108, et III.

tur esse praeter spasmos, inferius ortos superioraque petentes:--frigiditatis istius sensus exinde fit, quod in vasis cuti prospectantibus, de humorum motu derepente subtrahitur. Credibile est intestinorum, ventriculique motum, sub constrictione de qua supra, vel sisti, vel retrogradum fieri * ; a retrogrado vero ventriculi motu, oriri videtur ingrata illa sensatio, nausea dicta † ; ad quam amovendam, ab afflicto ventriculo in auxilium vocatur diaphragmatis, muscutorum abdominalium, etc. motus spasmodicus ; unde vomitus. Bilis esse videtur quae per vomitum viridis, colorisve cujusdam alius insoliti redditur : mutati coloris ejus causa est, encephalon laesum.--Doloribus capitis variis, causam praebere videtur meningum spasmus, quoad gradum, sedem, spatiumque quod occupat, varius. Vertigo, oculorum occlusio, scotomia, delirium, soporis

* Sic suadet vivorum animalium sectio.

† Notum est ante vomitum retrogradum fieri motum peristalticum, antequam vomitum nauseam adesse ; nec oriuntur nauseae signa (in dissectis animalibus vivis, quibus prius datum est *Φαρμακον* vomitorium) antequam invertatur motus ille : ideoque apparet inversionem motus, atque non *Φαρμακον* nauseae causam esse Proximam ; aliter enim animalia nequaquam desisterent nauseare, dum hoc in ventriculo hospicaretur. Perit appetitus ciborum, exoriente nausea, (quinimo a cibus tunc temporis abhorremus) nausea cessante redit : nonne est ergo motus peristalticus appetitus causa proxima ; atque non frictio papillarum nervearum, vel acria ventriculum pervellentia ? sicut scil. motus ille, inversus, nauseam facit, appetitusque amissionem ; ita, deorsum maxime tendens, in mente, per seipsum, sensationem illam gignit quae appetitus vocatur.

species illa, pathemata animi, auditusque laesiones; haec inquam omnia a duplici causa oriri possunt; reditu sanguinis a capite impedito, primariaque illa sensorii communis mutatione. Aucto adhuc affectu, contrahuntur magis vasa, humores magis repelluntur, debilitatur magis cor; unde membrorum debilitas, cordis motus celeritas, &c. Tandem vero ad illud venit ut amplius se movere non valeat cor; quo quiescente, contractae quiescunt et arteriae: sensus simul extinguuntur: sique de pessimis fit insultus, aegram arripit convulsio: quae quidem ab hodie dicto spasmu non multum differt. Patet vero, quomodo per *Ἀσφυξίαν*, Apoplexiam, vel vehementiores illas convulsiones ab auctoribus nuncupatas Epilepsiam, in mortem insultus definit. De paroxysmorum duratione dicendum nihil.---Quando laetus est eventus, requiescit tandem vis hysterica, reditque deinde nervorum origo in pristinum suum statum; hinc spasmorum remissio, cordique, virium reditus; unde rursus pulsus erectior, facies rubicundior, &c. hincque sensuum tandem restauratio. Spasimum omnem, saltem majorem, atonia excipit; vasa igitur ubique, profligato paroxysmo, vires resoluta manent; quae causa esse videtur, cur e pudendis profluat serofus ille, adeo inter auctores jactatus, humor:---uti et cur effusus sit sudor ille magnus, qui auctori cuidam paroxysmum solvisse est visus: dubitari potest etiam

iam

iam an unquam a vomitu phlegmatico, dolore capitis, &c. paroxysmus solutus fuerit; etsi haec, sicut in aliis paroxysmi stadiis, ita sub ejus solutionem contingere potuerint. De ratione morborum ad quos perducit suffocatio hysterica, nolo quidquam loqui; cum omnibus, ut reor, ex perpenfis, haecenus dictis pateat: inque tenebris sunt omnia quae symptomatum, quoad exordium, decursum, saevitiamque, varietatem spectant.--Rifus et fletus fieri hic videntur affecta primo mente; --ad utrumque convelluntur pulmones, diaphragma, muscoli abdominales, et forte Oesophagus.--Causa est tussi, eadem, ut opinor, quae profluvio salivae: de qua mox. Quoad gustus, olfactusque laesiones: sensationis sedes est sensorium commune, illiusque causa proxima est mutatio aliqua statui hujus inducta; idem erit autem seu mediantibus sensuum externorum organis, seu aliunde mutatio fiat; v. g. a vi hysterica.--Difficile videtur symptoma cujus reddatur ratio salivae profluvium; de illo agentes a positione nostra supra discedamus necesse est; spasmus enim abesse videtur: num ab aucta vasorum, a quibus discernitur saliva, irritabilitate oritur? num ab simili causa tussis, partimque urinae profluvium, atque stranguria*?

* De foemina hysterica narrat Etmullerus, quae, ingruente accessu, "inexplicabili coitus desiderio tentari solita fuit:" i. e. pruritu muliebrium; quem ingens semper irritabilitas commitabatur. Vid. Etm. op. prax. lib. 4. cap. de suff. hyst.

VENTUM est jam ad symptomata mali hujus topica. Horum vero de maxima parte antea egimus; haec igitur de quibus actum, jam praetereunda sunt.---Marcor ille membri, corporisve integri, haud omnes quae illi obnoxiae sunt, continue tenet; multas invadit, mox iterum decessurus: videtur esse potius morbi effectus, quam morbus ipse; ortumque habere a laesa nervorum *actione nutritia*, si ita loqui liceat. Effectus quoque morbi videntur esse pinguis illa corporis intumescencia; crurum, crurisve hydrops; membrorumque affectiones paralyticae; nasci autem haec ab interna quadam nervorum laesione, cujus modus nos latet; illa forte a languore motus sanguinis, vasorumque atonia, quae spasimum consequuntur; praesertim in his quae morbum saepius sunt passae: causam saltem haud aliam novi unde deduci possunt. Augeatur validitas cordis, arteriarumque majorum motus, quando his intactis, spasimo afficiuntur vasa minima: num inde calor quasi febrilis, hysterice familiaris*? cordis dicta palpitatio, tremorque, videntur esse visceris hujus motus convulsivi.---Vomitui acido materiam

* Aucta resistentia motui sanguinis, augebitur cordis et vis, et motus frequentia. Si vero Modice constringerentur vasa minora, adesset resistentiae augmentum; sique interea cordi functio sua integra maneret; visceris hujus ictus, et crebriores et validiores devenirent: hinc sanguinis momentum majus; unde caloris accessio. In plurimis vero suffocationibus hysterice, et Vehementer contrahuntur Vascula minora, et Cordis vires Infringuntur.

parant cibi; qui aciditatem in tantam oblaesas viarum primarum functiones abeunt*. Appetitus languor oriri potest, vel ab exiguitate, et inertia bilis, vel hominis debilitate, vel spasms levibus, ex hisque sequente ventriculi et intestinorum Peristaltici motus pigritie. Languentem vero stomachum pervellit quandoque acidum in ventriculo hospitans; tumque cibum avidius appetunt. Tria igitur symptomata de quibus proxime, ex morbi hujus effectibus potius sunt. Dolor in regione scrobiculo cordis subtensa, &c. exinde oritur, quod spasmo clauduntur ductus biliosi: similia his fiunt symptomata quando eos, ex vesica fellea, vel ex hepate lapsus, calculus infercit. Innuimus antea spasmum intestinorum, motum eorum peristalticum diminuere; borborygmi vero, aliaque aliqua symptomata suadere videntur, spasmos, leviores licet, ea continenter fere hystericis exercere; praesertim quibus malum inolevit; hinc igitur duplex alvi Obstipationis causa: si quando vero hi remittant spasmi, maximeque si intentiores fuerint, ingens obtinere debet intestinorum debilitas; in haec igitur undique convolabunt humores; reviviscentequae interim motu peristaltico, fit Diarrhaea. Cholera oriri potest ab humoribus corruptis, propter spasmos, in primis viis accumulatis. -Ileum

* Confer cum experimentis D. Pringle, supra dicta de abdominis inflatione.

hic efficiunt intestina spasmo occlusa, motusque eorum atque ventriculi spasmodica inversio.--Mentis aegritudo ex perverso sensorii statu. De Melancholia mox dicetur.

QUOAD exitum mali nostri: quomodo in sanitatem abit suffusis erysipelate cruribus, etc. haud in obscuro est. Inter morbos quos gignit, nullus frequentior est, quam viscerum obstructions; adeo ut plures medici, effectus a causis distinguere haud memores, hasce obstructions pro causa ejus proxima habeant:--Injurie vero tale judicium, propter obstructions in hoc morbo frequentiam; quum consideratis omnibus, mirabile sit non omnem suffocationem saeviolem obstructions relinquere; quando humores vix, et saepe ne vix quidem, per longum adeo quandoque tempus moveantur *. Ex debilitate viscerumque obstructione fit Hydrops. Ex vasorum spasmo, Mensium, Lochiorum, Haemorrhoidumque Suppressio. Cachexia a debilitate, laesisque concoctionibus, secretionibus, atque excre-

* Adde miram humorum coagulationem quae obtinere videtur: cujus insigne exemplum apud Will. occurrit, idque in viro, cujus casum "hystericum quasi" vocat auctor ille, cuique pulsus non defecerunt. "In medio quodam paroxysmo," inquit, "Vena in brachio pertusa, factoque orificio satis largo, sanguis ---haud, liquidorum more, in superficiem planam et aequabilem diffluxit: at instar feri liquefacti, et in vas frigidum instillati, gutta super guttam accumulata, in molem accrevit." De morb. conv. cap. 5.

tionibus. Phthisis, ex corruptione viscerum. De Paralyfi, antea. Sterilitas, a vitiatis muliebribus, modis in parte de cadaverum sectione monstratis. Ab humoribus uterinis acerbis factis, Furor Uterinus. Num in Epilepsiam transit malum hocce, talem, quocunque modo, mutationem subeunte Diathesi Hysterica, ut morbo alii ciendo apta evadat*? Certe res obscurissima est, de qua quaestio habetur. De Melancholia mox. Mania ex quadam sensorii communis status perversione, quae nos latet. Repertorum inter secanda cadavera rationem explicant spasmus, debilitas exinde, humorum stagnatio, coagulatioque.

ACTUM est de causis procatarcticis.

CUR foeminis, pag. 21 et 22. dictis maxime contingat, etc. frustra esset rationem moliri: illud hic solum observare liceat, errasse qui suffocationem convulsivam ad foeminas habitus sanguinei, etc. restringunt; quod testatur casuum apud C. Pisonem †, et C. Perry recitatio ‡.

HACTENUS solis foeminis, morbum, de quo hic agitur, attribuimus. Auctores autem inter agitatur quaestio, an foeminis Proprius sit. Atque annon Malum Hypochondriacum di-

* Febres intermittentes saepe ab alia in aliam speciem mutantur.—

† De morb. a coll. fer. ort. p. 2. f. 2. c. 2.

‡ Vid. A mechanical account of the hysterick passion, &c. pag. 190. et—1.

Etum virorum, habita ratione fabricae corporis diversae, eadem sit affectio? In jam dictum igitur malum quaedam eram dicturus quaestionem hanc respicientia; hoc autem me inchoare vetat jam antea adauctior tentaminis hujus moles. Ne vero penitus praeteream, dico, ut mihi videtur, probari posse, eam esse hujus, quae mali hysterici causam proximam, eosdemque esse morbos, habita ratione fabricae in viris atque in foeminis diversae:--idque probare causas eorum, (quousque per corporis in sexu utroque similitudinem licet,) phaenomenaque eadem: affectionis quidem hypochondriacae saepius occurrit species, quae hysterico malo topico, quam quae suffocationi respondet; etsi nec hujus exempla defint, uti testantur Sylvius, Willisius, Etmullerus, aliique. Male forte diximus supra, hystericum morbum in melancholiam exire; cum haec videatur illius esse species.--Locus scil. corporis est aliquis, in quem, ad melancholiam, prae aliis desaevire videntur spasmi; et quo spasmi affecto, insignis illa mentis aegritudo, &c. oritur [vide Van Swieten comment. in Boerh. Aphor. 1090]: locus ille est forte lien, vel et hepar:--haud obscurum est vero quomodo hinc gigni potest *Tandem* humor ille cui nomen atra bilis.*:--

* Videantur quae de humoris hujus generatione, a celer. Van Swieten sunt scripta.

atram enim illam bilem, melancholiae dicti morbi haud causam proximam esse vel exinde liquet, quod scilicet melancholicorum aliquot aperta sunt cadavera, in quibus nullum illius signum detegi potuit*. Scriptores sunt a quibus denegatur, eandem affectionem constituere hypochondriacum hystericumque malum. Horum praecipuus est Hoffmannus. Cum vero argumentorum a Celeberrimo hoc viro prolatorum momentum cernere mihi non detur, quae responsa scriptita habeo, proferre parcam.

DIAGNOSIS.

DIFFICILLIMA est saepe mali hystERICI diagnosi; omnes prope induit formas; perspicaciaeque atque experientiae est summae, pronunciantem illud sagacissimo Sydenhamo, eum a morbis quorum se vestit symptomatibus, Apoplexia, Epilepsia, Syncope, Rheumatismo, Calculo Renali, etc. distinguere. Notae hae esse videntur, (ut ambitum plurem evitemus) quibus detegi potest: nempe symptomata, quoad sedem, speciemque suam, insigniter mutabilia: paroxysmus animi motibus excitatus, aut exacerbatus: vel suave-olentibus, et sapientibus: grave-olentibusque fugatus: exorientia sub paroxysmo pathemata

* V. Boneti anat. pract. sub capite de melancholia.

animi, praecipue moeror: reddita sub invasionem urina limpida: suffocatioque constrictis faucibus. Nec aliis, quantum video, signis dignoscitur, quicquid auctores aliqui dicant.

HUNC igitur in modum, mali hujus Historiae, Causae Proximae,---Signisque Diagnostici operam dedi. Video multi mihi incommodi fuisse brevitatem, cui, in tractanda tam larga materia, studere necesse habui: curta namque facta sunt argumenta; eorumque, et rerum de numero multum detrahendum erat.---Nonnulli aegre tulerunt, quod morbus causae tam Obscurae relatus sit. Circa prolata hisce in chartulis de causa proxima, dum pauca loquar, morabor. Si concessum sit, validam esse quam adhibui ratiocinationem; tunc monstratum, minus esse sanas omnes, quaecunque haecenus in medium sunt prolatae, de hac re opiniones; vel saltem tot earum, quot mihi notae sunt; porroque, Aliquid Nervis in Iphis inesse, seu Vim vel Diathesin vocaveris, seu alia quacunque appellatione designare volueris, quod vera morbi causa est. Hujus, quam multas potui Dotes patefeci; hujusque, quantum valui, investigavi Agendi Modum. Agnosco quidem lubens, causam satis obscuram esse; quis vero multum sperat lucis in morbis Nervorum! Quoad meipsum, fateor hanc me rem ulterius perferre non posse, ni nervorum fabricam, actionemque callerem; his enim incognitis, Mihi omnino defuit quo substrueretur ratiocinium.

cinium. Dico itaque iterum, si adhibita sana essent argumenta, viam monstratum iri, quae ab aliis insistenda esset; remque aliquatenus perductam: me vero ulteriorem investigationem ejus his relicturum, quorum est vel acutius ingenium, vel rei medicae peritia major. Interim ne quis haec dicta accipiat, quasi de argumentationis validitate securus essem; contra quidem de illa multum timeo, nec ejus ergo Laudem posco, sed magni faciam, si mihi a Professoribus Veniam impetrem.

PROXIME esset de Prognosi, morbi que de Sanatione dicendum. Liceat vero mihi hocce jam relinquere, cum res sit tam lata morbi hujus medela; cumque ad talem jam antea molem tentamen perductum sit.

—SUPER sanatione ejus observare libet, Indicationes dictas Curatorias esse; imo, Si adsit causa procatartica, eam auferre. 2do, Seu adsit haec, seu non, spasmos Radicitus tollere, eam fugando sensorii communis conditionem quae nervorum commotionibus opportuna est, sensorioque statum convenientem restituendo. 3tio, Mala amovere, quae in corpore a morbo nascuntur. 4to, Symptomata graviora pacare. 5to, Denique, cavere ne morbus recurat. Nemo non videt, sermone non nisi plurimo, memorari posse omnia, quibus hisce est indicationibus satisfaciendum. Innumera quidem prope, earum ad unamquamque praecipienda essent. Quam multae sunt

funt caufae procatarcticae, quarum fingulae propria effe aptanda medela! Ad indicationem fecundam, quam multa habenda effent verba de medicamentis, omnibusque dictis Non-naturalibus, in foeminis quarum effent conditiones variae! Quid non de tertia dicendum? Quid de quarta?—

His igitur penfitatis, longo nimis huic tentamini finem impono. Superest ut lectorem orem, quaecunque reprehendenda occurrunt (et occurrent multa) fcriptori juvenili condonet: fi quos inciderit in errores; fi ftilus minus fit cultus; fi minus lucidus ordo; praefertim cum tam infinita difponenda fuerit materia; vel fi quaedam ideo defiderentur.

F I N I S.

sunt easque protractitice, quarum singulis
 propriis esse optanda medela. Ad indicatio-
 nem locandam, cum multa habenda essent
 verba de medicamentis, omnibusque dicit
 Non parantibus, in terminis quorum essent
 conditiones variae. Quid non de terra dicitur
 quae? Quid de quibus?
 His igitur pensatis, longo animis hinc
 tentaminum finem impono. Superest in lecto-
 rum oras, quascunque reprehendenda occur-
 runt (et occurrunt multa) scriptori juvenili
 condonari: si quos incidit in errores; si
 filios minus sit cultus; si minus lucidas ordo;
 praeterquam cum tam insignis disponenda fuerit
 materia; vel si quaedam ibi delibentur.

F I N I S